

Ruth, Regum, Job, Daniel, Tobiae, Judith, Esther, Machabaeorum et Apocalypseos illustrantes, ita, ut quaevis pagina quadrifariam in longum secta columna angustiore 1. Expositionem, latiore 2. Picturas quatuor, rursus angustiore 3. Expositionem, et latiore 4. Picturas quatuor contineat. Duae porro Picturae semper ad idem pertinent; prior enim historica est, allegorica altera, omnes pro aevi gustu fundo aureo nitidissimo coloribus superinductis. Atque, ut res in exemplo magis pateat, *Pag. i.* Pictura prima Deum sistit sinistra Globum terraqueum adpendentem, uno ejus Hemisphaerio candido, altero atro. Addita Expositio: *Hic diuidit dominus diem a nocte, i. lucem a tenebris.* Pictura altera illi subiecta repraesentat hinc Ecclesiam Angelo familiariter utentem, illinc Impios se suauantes, quos malus Daemon complectitur. Ait Expositio: *Claritas diei significat claritatem angelorum et sancte ecclesie. Nox significat tenebras mundi. cupiditatem. luxuriam. inuidiam. superbiam et alia peccata.* Atque ita de ceteris paginis, quas omnes margo auro coloribusque illustris in quadrum oblongum cingit. In ora supera paginarum adscriptus est Liber Biblicus, initia et fines singulorum in margine extero. Singulare illud habet *Job*, quod ultima ejus *pag.* quae est 162. non tantum pictus exhibeatur *Gregorius M.* columba scribentis humero insistente, sed facti hujus narratio una cum exhortatione ejus.

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

dem Patris utramque Expositionis columnam impleat, et loco 6. posteriorum picturarum caractere aureo quadrato *Jobo* texatur elogium, quod incipit: *Ecce Finis Istius Libri Job, Qui Nobis Omnibus Est Exemplar Patientie &c. Gregorium* ob sua *Moralia in Job* huc adlitum reor. Expositio raro tam verbosa est, ut quadrum infra egrediatur, si *Apocalypsin* demas, in qua frequenter id accidit. Finit illa: *et sibi bonum non attribuunt sed gratie saluatoris.* Aderat eodem loco marginis externi Inscriptio quaedam lineis caeruleis et rubris pulcre alternantibus, sed illam, nescio quis, homuncio derasit, unde neque Expositionis Compilatores, nec *Εγροδιωκτων* sumtuosi et regii hujus Operis edicere integrum est, in quo si figurarum inconcinnitas risum quandoque moveat, facile ignoscet Spectator, qui suis quaeque temporibus pensitat. Cf. Cod. seq.

CCXXVI.

Codex membraneus gall. Sec. C. 1001
XIV. Folior. geminorum 66. f. maj. singularis et splendidissimi operis, quem pictum potius, quam scriptum dicas; Textus enim non nisi angustum cujusvis paginae utrinque latus occupat, cetera Picturis tenentur, et ita quidem, ut semper binorum foliorum paginae, quae connivent, depictae sint, quae divergunt, purae relictae. *Biblia historicoallegorica iconologica* compellere placet Librum nullam ceterum *ἐπιγραφήν* praeferentem,

Y

maxi-

maximo fane sumtu adornatum; ut enim delineatoris ars infra commendationem fit, auri tamen impensa vis, et colorum vigor in admirationem rapiat, oportet. Totum folium primum aversum Creator occupat cruce circini uno in terrae centro defixo altero univervsam creationem obiens. In ora supera folii litera quadrata caeruleo rubroque alternante legitur: *Ici. Crie. Dex.* (ita semper pro *Dieu*) *Ciel. Et. Terre. Soleil. Et. Lune. Et. Toz. Elemenz.* Stratam sive fundus totus hujus Picturae auro levigato lucet, id, quod de omnibus etiam reliquis Picturis velim intelligi. Harum porro sequens est ratio. Pagina quaevis bina serie Icones majores orbiculatas octo exhibet ita, ut in quaque serie quatuor sint ad perpendicularum; intervalla autem quindecim minoribus quadratis Angelorum *πρωτομας* referentibus impleantur. Utrinque, ut dixi, angusta columna Textus ab elegante manu scriptus intercipitur, totumque a margine deaurato, picturatoque cingitur. Icones igitur trium millium numerum excedunt. Verum quid jam iis designatur? Prior semper Factum aliquod historicum e Vet. Testamento, nullo adeo servato Librorum ordine, repraesentat, subsequens Factum istud ad aliquam allegoriam trahit. Adscribam Textus priorum IV. Iconum: 1) *Ici depart Dex le ior de la nujt.* 2) *La clartei del ior senesie la clartei des angles et de sainte eglise.* 3) *Ici depart dex la terre de la mer. et garnist la*

terre darbres et doiseax. et la mer de poissons de gros et de meninz. 4) *La terre senesie sainte eglise. li oisiel senesient les diuerfes genz del monde qui acrochent sainte eglise. li gros poisson senesie les gros usuriers qui mainiuent (mangent?) les petiz ce sunt la pouure gent.* Multa per decursum pie simpliciter offerri specimina, nemo dubitabit. Ita Biga Iconum a fine octava Levitam e *Judic. C. 20.* uxoris membra per XII. Tribus dispertientem proponit cum addito: *Ici uient li Dyakenes (Diaconus pro Levita) et fet de sa fame XII. parties. et les enuoe per XII. messages as XII. lignies.* Dein proponit Senes duos, qui libros distribuunt, et ita allegoriam explicat: *Ce que li Dyakenes depieca sa fame en XII. parties et les enuoa par XII. messages a XII. lignies. ce senesie iereume et augustin. qui baillerent a XII. patriarches les XII. uolumes por porter les as XII. Apostles.* In hoc Idiomate vetusto, unde non pauca *γλωσσηματα* enotari possent, hodiernum gallicum et hispanicum, velut in cunis, videmus; orbiculata vero Paginarum dispositio facile admonet Fenestrarum *εγκαυσως* pictarum, quibus vel hodie Tempa quaedam ornata sunt, aliis in Curiosorum Musea receptis. Quod si Codex ad exemplar ejusmodi Vitrorum ad commodatus fuerit, multo antiquiorem illam Artem esse oportet, quam quidem Scriptores adserunt. Secus dicam, ideam Fenestrarum illarum a Codicibus defum.

sumtam fuisse. Nostro ad calcem recentior adfuta est Membrana sex Scutis gentilitiis ita occupata, ut majora duo, quibus adscriptum *Mercy* et *Luxembourg* medium teneant; ad quatuor vero angulos minora videlicet *Beaupart*, *Beauuau Craon*, et *Lenoncourt*, la *Mark* adfiant. Cum *Luxemburgicum* femineum fit, quandam ex ramosissima hac Gente in *Mercio-*

rum familiam nuptu datam innuere possit, quod Genealogi discutiant.

CCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3338 XIV. Folior. 81. forma 4. angusta caractere luculento, atro per-scriptus et rubricis distinctus ita orditur:

*Incipit probemium cuiusdam noue compilationis.
Cuius nomen et tytilus est Speculum humane saluacionis. &c.*

Exhibui duo praecipua *Speculi* huius rhythmicæ Exempla Vol. I. P. 1. col. 439. et P. 2. col. 2218. Tertium praefens caret Figuris, ut Secundum, gaudet vero Praefatione secunda, qua primum desinitur. Integrum est; censet enim Capita XLV. quae si conferantur cum Impressione tabellari,

cujus memini col. 439. *supracit.* liquidum fit huic Impressioni deesse Capita XVI. videlicet 25. 28—30. 33—39. 41—45. ideoque factam ad exemplar *ms.* imperfectum. Id, quod inde etiam patet, quod mox in *Probemio* ommissum est sequens Distichon:

*In secundo capitulo agitur de precepti transgressione
Et de hominis eiectione et exilii huius prolongacione.*

item, quod ad calcem *Probemii* temere adjectum est istud:

*Secunda figura gaudii eterni potest conuiuium regis assueri fuisse
Quia nullum legimus tam longum et tam solempne conuiuium habere.*

Lege in rhythmici gratiam: *habuisse.* Pertinet id ad Cap. XLII. in *Probemio* juxta nostrum Codicem, qui praeterea per decursum diligenter minio notat in margine, ubi Figura sive Icon foret adpingenda. Ad calcem eraso minio superinductum caractere recenti: *per manus F. Eberhardi Mon-*

seensis Saeculo 12. Odi ejusmodi technas; vel enim erat *Eberhardi* nomen jam a prima manu, quid lima opus? vel legebatur aliud, cur inuides, aut unde doces, substituendum *Eberhardum*? Cur etiam Saeculum mentiris? Ad populum phaleras.